

regnum a nobis item auferri; vel, collustrato lucis Evangelicæ radiis toto propemodum orbe terrarum, ex divinis oraculis, effoetæ jam ac fescienti naturæ finis propediem adesse videatur. Verum hæc summus ipse rerum arbiter, pro sua infinita bonitate ac sapientia moderabitur. Nobis, rem tantam, parendi magis alacritate, quam perficiendi facultate suscipientibus, illud in primis veniebat in mentem vereri: ne, quoniam permulta, cum sacris tum prophanis in rebus supra naturæ vim atque ordinem facta subinde exponentur, narratio nostra plus fortasse admirationis apud quosdam sit habitura, quam fidei. Quocirca denuntio profiteorque jam nunc, me nihil in medium esse allaturum, nisi quod e publicis tabulariis, aut probatis auctoribus, quive interfuere ipsimet rebus gerendis, accepero. Quæ mihi copia quo promptior & expeditior esset, non subterfugi, quominus Olisiponem usque commorandi causa contenderem: qua ex urbe, quod in Oceani velut imperium peropportuno imminet loco, atque ob id ipsum antiqua regum Lusitaniæ sedes est, omnia ferme Indicarum expeditionum consilia atque acta manarunt. Neque nobis veritate quicquam omnino antiquius vel fuit, vel esse debuit. Nam alioqui, neque DEUS immortalis, cui nostra omnis uni desudat industria, commentis ac mendaciis delectatur; & me ipsum mortalibus rebus jam pridem valere jussis, fingendi vel adulandi causas omnes procul habere par est. Sed jam ad institutum aggredior.

ORBEM terræ universum tres in partes divisit antiquitas: inventi demum hi novi tractus quartam adjecere; si quarta appellanda est, quæ una reliquis omnibus magnitudine ferme par est. Neque tamen hæc recentiora tantummodo, sed veterum quoque finium haud exigua spatia prisci homines ignorarunt. Siquidem & in multis regionibus describendis Ptolemæus, vir cæteroqui summus, & alii geographi insignes hallucinati sunt; & Africæ terræ quicquid a Prasæ Promontorio, & interiore Æthiopia, & Lunæ montibus in Austrum extenditur, multæque & ingentes tum Africo tum Indico littori objacentes insulæ, quamvis accuratam eorum diligentiam notitiamque subterfugere. Navigandi vero, ante centesimum annum, vel apud Hesperios populos tanta fuit inscitia, maritimo videlicet usu astrolabii nondum excogitato, ut ab ora discedere, & alto Oceano se committere, nequaquam auderent: sed littora caute legentes, ubi ad æstus maris aut brevia periculosa pervenerant, quasi repagulis quibusdam a natura seu numine objectis, reciperent illico sese, & longius tendere quodammodo nefas arbitrarentur. Itaque promontorium ad Atlantis radices, & aquarum impetu & Syrtibus vicinis infame, cui nomen olim fuit extremæ Chaunariæ; rudi sane vocabulo, Caput Non, ea tempestate vulgus nautarum appellare solitum est, propterea quod si quis id promontorium superare male sano conatu esset ausus, eum ad suos ultra esse rediturum negarent. Hæc igitur loca gentesque lingua, moribus, superstitionibus adeo dissonæ, uti Lusitanorum armis tandem apertæ, & Christi Evangelio collustratæ sint, quo clarius pateat, paulo mihi altius ordianda tota res est. In iis Lusitaniæ Regibus, qui prospero eventu rem & suam & Christianam auxere, præcipua celebritate est Joannes eo nomine primus, qui, transmissis in Africam exercitu, Septam urbem (quam Procopius Græce Septon, alii septem fratrum civitatem appellant) de Mauris cepit insigni victoria. Huic e Philippa Alencastria, Eduardi sexti Bri-